

## Drei neue Myoporinen des Herbarium Vindobonense.

Von

Prof. Dr. Fr. Kränzlin.

### *Myoporum cuneifolium* Kränzlin. n. sp.

Fruticosum. Rami crassiusculi, 4—5 mm diam., cortice pallide brunneo, glutinoso?, minute papilloso tecti, dense foliati et cicatricibus foliorum delapsorum magnis, paulum prominentibus, vix 5 mm inter se distantibus praediti. Folia e basi angusta sensim dilatata cuneata, obovata, non proprie petiolata, antice rotundata, subemarginata v. interdum brevissime acutata, crasse coriacea, 13—15 in summitates 2 cm longas ramulorum congesta, illis *Pittospori Tobirae* optime comparanda, 6—9 cm longa, 2—3·8 cm lata. Flores glomerati, complures ex axilla quaque foliorum orientes, brevi pedicellati, pedicelli ca. 4—5 mm longi. Calyx campanulatus, medium usque tantum fissus, segmenta ovata, acuta, margine minute denticulata v. fimbriata, in modum  $\frac{2}{3}$  disposita, totus calyx 3·5 mm longus, segmenta 2 mm longa. Corolla duplo longior quam calyx, campanulata, paulum patula, lobi ovati, obtusi, illi labii superioris, latere interno recti, extus obliqua resecti, lobi labii inferioris irregulariter ovati, obtusi, tota corolla intus pilosula, 6 mm longa, basi 3 mm, in orificio 6 mm diametro. Stamina 4, filamenta basi tubi inserta, antherae maximae, bifidae, orificium corollae attingentes, 2 mm longae. Ovarium basi non annulatum, ovoideum, stylus leviter flexuosus, glaber, corollam bene excedens, cum ovario 8—9 mm longus, stigma papillosum, non dilatatum. Drupa valde carnosae, immaturas tantum vidi, ovulis omnino non evolutis. — Fl. Augusto.

Neu-Caledonien. Islôt de Freycinet (Grunow!) in herb. Vindobon.

Nota. Planta primo aspectu cum *M. obscuro* Endl. comparanda, differt foliis obovatis, antice rotundatis, floribus multo minoribus et omnibus partibus diversis.

### *Myoporum tubiflorum* Kränzlin. n. sp.

Certe frutescens, ramuli pars quae praestat, 4—5 mm crassa, apice tantum foliata, foliis congestis, undique cicatris numerosis, magnis, valde prominentibus, cordatis valde approximatis tectus. Folia obovato-oblonga, acuta, brevi-apiculata, in petiolum brevem angustata, margine integra v. vix remoteque repanda, cum petiolo vix 5 mm longo ad 5 cm longa, ad 2·5 cm lata, crassiuscula, sicca glaberrima, viva glutinosa videntur. Flores axillares pauci v. complures, longius pedicellati, succedanei et verosimiliter in dichasium dispositi, pedicelli 1·2 cm longi. Calyx brevissimus, segmenta late triangula, parti integrae aequilonga,  $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$  mm longa, acuta. Corollae tubus per 3 quartas campanulatus v. tubiformis, limbi lobi 3, late elliptici, antice rotundati, 2 (labium superius efficientes) magis approximati, altius connati, tota corolla 6—6·5 mm

longa, connivens, in orificio fere 4 mm diam., intus in dimidio superiore pilosa. Stamina medio in tubo affixa, torta, tubum non excedentia, antherae magnae, subbipartitae, profunde sulcatae, ovarium in basi non annulatum, excavationi calycis insertum et ab illo facile separandum, glabrum; stylus crassiusculus, per totam longitudinem pilosus, totum gynoeceum 4 mm longum. Drupa sicca nigra, globosa, 3 mm diam. — Fl. Majo.

Nova Caledonia. Litu (Thiébaud, N. 280!) — In herb. Vindobon.

Nota. Est planta *M. obscuro* Endl. pluribus characteribus haud dissimilis, differt tamen non solum foliis multo minoribus, quod levioris momenti existimandum, sed florum fabrica, qui nullo characterere cum illis *M. obscuri* quadrant. A *M. tenuifolia* Forst. jam foliis minime lanceolatis longius differt.

### *Myoporum paniculatum* Kränzlin. n. sp.

Fruticosum. Rami cortice fragili glutinoso tecti, in partibus supremis interdum minute puberuli. Folia lanceolata v. oblongo-lanceolata, sensim in petiolum haud distinctum angustata, obtuse acutata v. obtusa, integerrima, glaberrima, maxima ad 10 cm longa (incl. petiolo 1 cm longo) 2—2.3 cm lata, suprema minora. Inflorescentiae laterales paniculatae, multiramosae, quam folia sua breviores, inferiores pluriramosae, rami e basi bractearum omnino foliis similium sed minorum orientes, rami apice cymosi v. rectius dichasiales; inflorescentie infimae ad 8 cm longae, supremae multo breviores; pedicelli ad 5 mm longi. Calyx campanulatus, extus minute papillosus, lobuli breves obtusi, vix  $\frac{3}{4}$  calycis aequantes 1.5 mm longi, margine minute fimbriati v. denticulati. Corolla campanulata, limbus regulariter quinquelobus, extus et intus minute pilosulus, lobi breves ovati, obtuse acutati, tota corolla 4.5—5 mm longa, supra 5 mm diam. Stamina 4, inter se vix diversa, filamenta basi tubi affixa, e basi lata intus concava attenuata, vix dimidium tubi aequantia, 2 mm longa. Ovarium compressiusculum cum stylo 3 mm longum.

Australien. Ohne genaueren Standort (Sieber, N. 259!) ex herb. Reichenbach nunc Vindobonensi.

Nota. Planta praeter omnes excellit inflorescentiis paniculatis, denique in modum dichasii ramosis. Flores parvi *Myopori* typici. Monendum est, bracteas ramorum inferiorum paniculae omnino esse foliaceas.